

XXVI.

G. G. L.

Annotatio de arte Noriber-
gensis specula vitrea conficiendi sine foliis.

Hac ratione folia stannea vitris non planis obducendi, bene procedente; non adeò necesse erit inquire in artem nondum vulgò cognitam, qua utuntur artifices prope Noribergam qui specula vitrea convexa sine foliis conficiunt; adhibentes, ut appareat, crama quoddam quod ex liquido in vitri superficie induratur, & vilis preti esse debet, cum specula ejusmodi convexa vili vendantur. Memini Secretarium Societatis Regiae Anglicanæ olim ad Dn. Curtium Ablegatum Caroli II Regis magna Britannia ordinarium, Francofurti ad Moenum degentem, scribere, ut hoc quicquid est artificii indagaretur. Idque ne nunc quidem planè negligi velim, & scio quosdam qui notitiam ejus jactaverant, promissis non stetisse,

XXVII.

Notitia de Historia cœlesti

Britannicâ quam

Joh. Flamstedius.
edere parat.

Prima pars continebit Observationes diametrorum Solis & Lunæ, configurationes item & elongationes Satellitum jovis à suo primario planeta; Exiguas Fixarum Distantias, cum appulsibus Lunæ & planetarum ad Fixas ex observationibus cum Telescopio & micometris apud Derbyenses institutis inter annos 1670 & 1675 majores item distantias fixarum inter se & à planetis, Ecclipses Solis, Lunæ & Satellitum jovis, Maculas Solis, Cometas, & Refractiones per observationes adhibito ampio sextante, & volubili Quadrant-

Quadrante, & instrumentis supradictis intra annos 1675 & 1689. in observatorio Regio institutas & in congrua capita digestas.

Pars secunda continet Meridionales distantias à vertice, & transitus fixarum ac planetarum per Meridianum, observatas amplio arcu murali intra annos 1689. & 1704. cum aliis observationibus secundum ordinem temporum interspersis circa Eclipses Luminarium, Satellitum, &c.

Tertia pars continebit

1. Ptolomæi Catalogum 1026. fixarum Græcè, cum versione, & Ulug-Beigi locis in Latina pagina annexis, additis correctiōnibus.
2. Breves quosdam Arabum Catalogos.
3. Tythonis Brahe Catalogum 780. fixarum commodo ordine dispositum.
4. Landgravii Hasfiæ, Stellarum 368.
5. Hevelii, Stellarum 1534 ordine commodo dispositum.
6. Catalogum brevem, J. F. initio anni 1686, & alium Gallicum circa ejusdem anni finem.
7. Halleji Catalogum Australium anno 1677. confectum.
8. Brevem Catalogum Gallicum earundem.
9. *Catalogum Britannicum*, quo exhibentur Ascensiones rectæ, Distantiae à Polo, Longitudines & Latitudines prope 3000. Fixarum cum variationibus rectarum ascensionum, & distantiarum à polo, dum longitudo uno gradu mutatur, Latine & Anglice; cum Tabulis locorum Solis & declinationum pro annis 41. hujus seculi; una cum variationibus, quæ per reliquos seculi annos has tabulas utiles reddant, in usum maximè navigantium.

Præter præfationes, & loca planetarum ex observationibus ope hujus Catalogi Fixarum deducta.

Sexaginta circiter Tabulæ Figurarum accident, quibus novæ exhibebuntur Constellationes, & antiquæ restituentur. Nam Bayeria-næ figuræ & globorum falsæ & à Catalogis discrepantes deprehenduntur.

Non memorantur Observationes Distantiarum à Zenith meridionalium Sextante sumitæ annis 1676. 1677. 78. 79. & 80. Item similes distantiae amplio sed *simplici arcu murali* sumitæ, intra annos 1683 & 84.

& 86, quòd eæ non satis certæ judicentur item non paucæ observationes solares ope novi & firmi satis arcus muralis institutæ, cum iisquas proxima nocte cum stellis & planetis instituere animus erat, sed quas nebulæ vel alii casus intercepere.

Quæ exhibentur non sunt Speculationes in musico peractæ, sed labores actuales triginta annorum, noctu diuque continuati, non sine detimento valetudinis, propriisque autoris in instrumenta & auxiliatores impensis. Cœpti sunt labores jussu & ope Caroli II. Regis; & continuati sub Regnis successorum, publici boni & maximè navigationis promovendæ causa; ne peritis rei nauticæ auxilia necessaria deessent ad conficiendas veras mappas Geographicas, & inveniendum in mari, locum ubi versantur.

XXVIII.

C. Henflingii Epistola de novo suo Syste-

mate Musico, Onoldi 17. April. 1708. ad Præsidem data.

INsignem benevolentiam, Vir Illustris, quâ hactenus literis tuis de rebus Mathematicis mecum agere, & in illis mihi subsidio esse voluisti, si non satis prædicare, aut omnigènæ eruditioni tuæ aliquid ex nostris studiis, quod Te delectet, reponere valeo, saltem non cessabo, omni obsequiū officio tuis posterioribus desideriis, quantum potero, satisfacere, & mandata tua exsequi; quæ in hoc consistunt, ut non solum id quod in priori meâ epistolâ asserui, dilucidius deducam, nimirum vera Musices fundamenta nondum esse jacta, ut ut hæc Scientia ob suam amoenitatem universum fere genus humanum in sui amorem trahat; sed etiam ut ea quæ de ejus fundamentis ex propriis suis principiis, sine ullo anfractu eruditis meditatus sum, Tecum communicem. Quæ tamen ita accipias velim, ut omnia judicio tuo, quod mihi meritòl instar omnium erit, planissimè submittantur.